



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aphorismi Confessariorvm Ex Doctorvm sententijs collecti

Sá, Manuel de

Coloniae, 1610

Monasterium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41645

cionem, vñ quidam putant.

* *Suar. l. c. sec. 6. in fin. { Vt quidam } Ang. l. c.*

8 Sufficit in festo Natiuitatis audire vnā Missam, & in quouis festo audire Missam quæ dicitur, etiam pro defunctis.

* *Naua. l. c. num. 2. Suarez sect. 2. in fine, etiam illa, quæ noctu dicitur, Syl. Missa. 2. §. 1.*

Defunctis } *Syl. l. c. §. 4. Azor. l. c. q. penult.*

Qui ex voto tenetur alteram Missam audire die festo, satisfaciet si duos Sacerdotes eodem tempore celebrantes audiat. ita *Maior. 4. d. 12. q. 8. Suarez l. c. in fine, sic horæ recitantur, & auditur sacrum.*

9 Missa excommunicati non denunciari potest audiri; itemque, secundum quosdam suspensi etiam denunciati, si absit scandalum, vel cooperando. Verum oppositum colligitur ex c. *Vestra, & c. Quæsitum, de cohabitatione, & c. Nullus, & c. Præter hæc, d. 32.*

* *Sot. d. 13. q. 1. art. 9.*

Potest audiri Missa etiam publici concubinarij, si nondum sit denunciatus excommunicatus. *Suar. l. c. sect. 6. in fine.*

Qui græcam Missam audiret nihil intelligens præcepto satisfaceret. *Sot. Azor. l. c.*

Monasterium, vide Ecclesia, Excommunicatio.

Monasterium ingredi potest, qui potest dare ingrediendi licentiam. * *Vide*

Trid.

2 Monasterio non potest egredi Monialis sine causa, & consensu Superioris & Episcopi. *Ex Congreg. Concil.*

3 Episcopi non possunt ingredi Monasteria Mendicantium Monialium, non sibi pleno iure subiecta. *Ex Pio V.*

4 Monasterium non tenetur pro delicto Religiosi etiam Prælati. *Vide Regulam Delictum, li. 6.* Nec ad debitum Monachi, nisi sit in eius utilitatem conuersum, aut eius commissione factum, aut sit Prælati debitum, vel Conuentus: obligatur verò quis Monasterio ex contractu cum Monacho.

* Vide etiam *Syl. Religio. 8. q. 3.*

Debitum } *Vide Fum. Monachus. num. 13. 14.*
Syl. Religio. 8. num. 3.

Cogens puellam ad ingressum monasterij solius educationis gratia subiicitur decreto Trid. *sess. 25. c. 18. de reg. in quo contra cogentes lata est excommunicationis sententia. Nau. consi. 6. & 7. de reg. lib. 3. quæ sententia doctissimis viris non probatur.*

5 Puella de qua est lis, potest interim collocari in Monasterio de licentia Episcopi; itemque de licentia Superioris, & Monialium, quæ domi tutò ali non potest, aut causa educationis vsque ad annum vigesimum quintum ætatis, sed sine ancilla, & potestate egrediendi, nisi ob morbi curationem. *Ex Congr. Concil.*

Menest.